

nem, fit ut parva, & magis impuri sanguinis portio ad fœtum alendum transmittatur, & sic uterque summo, ac evidenti periculo subijcitur; & quotidiana quidem experientia constat, lactantes, quæ concipiunt præcipue intra primum annum, nisi à lactatione desistant, conceptus gestare debiliores, & minime vitales, quibus ex causis non absque ratione jubent Medici, ut toto lactationis tempore Nutrices à coitu abstinant, Mercat. lib. 4. de morbis mul. cap. 15. Roderic. à Castr. de nat. mul. lib. 4. cap. 13. Daniel Sener. lib. 4. Præst. de Infant. cur. par. 1. cap. 1. & licet dici possit, quod quando-  
cunque lactans mulier in ventre habere se sentit, facile illi sit, nutrimentum reperire, quæ puerum lactet, & sic utriusque pueri indemnitate facile sit confulere, tamen videndum, an hoc habeat locum in pauperulis, & in nonnullis aliis, quarum pueri nequaquam alienas mammas fugere volunt, hos enim à periculo eximere est impossibile. verum licet hæc per Canonistas forte non modo sufficienter exculare lactantem mulierem existimarentur, sed etiam prohibere à debiti redditiõe, haberent tamen locum, ubi tale aliquid rationabile periculum timeretur, & quodocunque etiam mulier in coitu semen emitteret; at potest mulier, ut alias diximus, debito satisfacere absque proprii seminis emissionem, & sic cessabit omne conceptionis periculum, immo etiam illud, quod timetur de lactis deteriori conditione, & turbatione ex seminis profusione. & tamen ubi vir frequenter debitum exigeret, non caret ea res periculo, de necessitate enim lactans Mulier frequenter à Viro cognita aliquando irritabitur ad seminis emissionem, unde utrumque periculum manifeste adaugebitur. Itaque non inconueniens dixerim determinare, ut viri à frequenti exactione abstinere debeant, & mulieres ad frequentem redditionem non teneantur.

## S V M M A R I V M.

- 1 Coniuges nunquam sub pena peccati tenentur ad debitum exigendum, nisi in nonnullis casibus.
- 2 Coniuges prohibentur interdum debitum exigere.
- 3 Sanius coniux an exigere possit à coniuge non sana mentis.
- 4 Sanius Coniux tenetur leproso reddere debitum etiam si proles nascitura sit infecta.
- 5 Ebrio Coniuge an sanus tenetur reddere debitum.
- 6 Menstruata an possit debitum exigere.
- 7 Menstruis fluentibus Mulieret ad Venerem excitantur.
- 8 Vir an exigere debitum possit à Menstruata.
- 9 Vir an exigere possit ab Vxore, quæ certo gravidationis tempore abortit.
- 10 Vir an exigere possit debitum ab Vxore, quæ semper mortuos parit.
- 11 Vir an exigere possit debitum ab Vxore, quæ semper Gemellos parit.
- 12 Mulier an exigere ita debitum possit, ut sola semen emittat, viro non seminante.
- 13 Arrigentes, sed semen non emittentes non possunt matrimonium contrahere.
- 14 Mulier lactans an possit debitum exigere.
- 15 Coniuges an possint ex sola causa sanitatis debitum exigere.

## De his, quæ vel alterum, vel utrumque Coniugem prohibent exigere.

## Q V Æ S T I O I V.

Licet Coniuges nunquam obligentur sub pena lethalis peccati, immo vero neque venialis, debitum exigere, nisi in uno, aut altero casu, de quibus Canonistæ. Summa Angelica par. 1. verbo debitum conjugale num. 16. & seq. Coninc. de Sacram. disp. 34. dub. 2. num. 13. Pont. de Matrim. lib. 10. cap. 2. num. 2. Alphons. Vivald. in Camdel. An. par. 1. tit. 17. rubr. de redd. deb. conjug. num. 7. tamen sub pena mortalis peccati interdum prohibentur exigere; & universatim id habet locum quodocunque coitus redundare potest in evidens, ac notabile detrimentum aut salutis ipsius exigentis, aut conjugis reddentis, aut etiam fœtus in utero existentis, aut pueri lactantis. tunc enim quemadmodum licite excusantur à redditione, sic videntur prohiberi ab exactione. Sannaz. de Matrim. cap. 3. art. 5. num. 73. Coninc. ubi supra dub. 3. num. 20. quod quidem maxima cum ratione videtur determinatum; nam si licet negare conjugi quod illi ex Iustitia debetur, si hoc in detrimentum propriæ salutis emanare possit, quanto magis debet quæ jure suo non uti, si hoc in detrimentum propriæ salutis futurum sit? sunt tamen peculiare aliqui casus, qui dubitandi aniam in hoc subministrare possunt, fit enim interdum, ut etiam si alter conjugum non possit exigere, non idcirco, si exigat, possit ab altero debitum negari.

Primo igitur dubitari potest, an sanus Coniux exigere possit debitum à coniuge non sana mentis. ratio dubitandi est, quia nonnulli Canonistæ voluerunt, non esse inter Coniuges licitam copulam conjugalem, ubi uterque sit non sana mentis ob periculum, quod proli imminere potest, neita nascatur, ut suo tempore nullo rationis usu dotetur. Coninc. de Sacram. disp. 34. dub. 9. num. 79. Pont. de Matrim. lib. 10. cap. 14. num. 10. cum tamen existimemus, hic non intervenire culpam ex malo opere, quemadmodum neque meritum ex bono, cum amentes utriusque sint incapaces. idem autem periculum, quod ajunt imminere ex utriusque amentia, imminet quoque ex amentia alterutrius, unde bene, ut credo, Pontius lib. 10. de Matrim. cap. 14. num. 10. absolute negat, tempore amentis esse reddendum debitum; & prudenter id quidem, nam securi nequaquam esse possumus, an nascitura proles magis sano, quam infirmo conjugi in valedudine similis futura sit; quinimo contra iustus timor, & rationalis irrepit potius contrarii eventus, nempe ut morbofo similior sit futura, quia plerumque parentes morbofo, nempe altero ex parentibus existente morbofo, potius morbofolam prolem generare sibi similem, quam sani sanam, & sibi similem consueverunt, ubi morbofo sanus copulatur, ut ex Hippocratis auctoritate patet in lib. de Genitura, & alibi, quod quidem maxime habet locum in ægritudinibus Cerebri, quæ omnes cum insignes fuerint solent esse hereditariæ. At vero si leproso Coniuge tenetur sanus reddere debitum, etiam si adit notabile periculum, prolem eo morbo nascituram infectam. Brunell. de Spons. & Matrim. conclus. 8. num. 8. Sanchez lib. 9. de Ma-

de Matrim. disp. 24. num. 25. quia melius est proli, ut dicunt, esse aliquo modo etiam sic infecta, quam non esse, videretur par ratio militare in hoc casu, cum tamen alia ex parte contrarium sentiant Canonistæ, ut dixi, qui huic dubio satisfaciunt. Quorum tamen nonnulli, ut Sum. Silvestr. par. 1. verbo debitum conjug. num. 2. volunt omnino esse necessarium reddere debitum conjugati fatuo, vel dementi, si id absque propriæ personæ periculo fieri possit, mihi satis fit innuisse, periculum non tantum imminere ex utriusque Coniugis amentia, sed etiam ex alterutrius tantum. illud vero certum est, quod si Canonistarum sententia habet locum in amentia, habebit etiam locum in plerisque aliis morbis, qui à Parentibus in filios emanare solent, ut Epilepsia est, Phthisis, Hæctica, & alii, unde non carebit hæc sententia multis difficultatibus, nisi quid forte in amentia peculiariter operetur privatio usus rationis, vix enim homo nasci dici potest, qui sic nascitur, ut nunquam debito tempore ratione uti possit.

Idem dubium intervenire potest de Coniuge Ebrio, cum idem etiam imminet periculum, ne proles fatua, vel amens oriatur; præterquam quod urget etiam aliud periculum, ne scilicet ebrius Coniux in iplo Matrimoniali actu in mille absurda incidat, quæ ebrietas Luxuriæ associata dicere potest, nam cum ebrius sui juris non sit, ubi Veneris ardore incalescit, omnia sibi licere credit, in omnia impetum facit, unde bene Iuvenal. Sat. 6.

— quid enim Venus ebria curat?

Inguinis, & Capitis quæ sint discrimina nescit.

videtur ergo à Canonistis decidendum, num ob Proles periculum, aut etiam ne occasionem graviter peccandi facile præter, possit sanus coniux ab ebrio debitum exigere, aut num teneatur reddere, cum ebrius exigens non possit dici oportune exigere, quia non est sui juris, neque aportuniam novit, neque periculum, quod libimet ipsi ex Veneris usu instat, cum Medici omnes uno ore hortentur, vitandas esse ebrietates, cum quis coitu uti destinavit, periculosæ enim admodum, ne Apoplexiam, aut alium quempiam gravem excitent affectum, Rasis 24. contin. cap. 1. advertendum autem distingui quidem ebrium ab ebrioso, ut alias dixi lib. 2. tit. 1. q. 11. n. 24. sed etiam ebrioso coitum esse noxium, & prolem ex iplo susceptam, ut plurimum imbecilem esse, ac morbis obnoxiam patet, sed an hæc impedimento sint quoad debiti redditionem ii, ad quos spectat, determinabunt.

De Menstruata Muliere dubitatum est, an possit exigere debitum, nam aliqui putarunt eam posse. Sannazar. de Matrim. cap. 3. art. 5. num. 68. Sanchez ubi alias disp. 21. num. 4. contra sententibus aliis, ut Sum. Silvestr. verbo debitum conjug. num. 8. in fine, & Ledelm. apud eundem Sanchez ibid. qui voluerunt mulierem mortaliter peccare, si mensuris fluentibus debitum exegerit. ratio horum Canonistarum est, quia cum mulier tum temporis non adeo acutis carnis stimulis, ut alias agitur, & possit ob id facile prurienti luxuriæ resistere, non debet ipsa se ipsam ad Venerem irritare, maxime cum fluentibus mensuris conceptio plerumque non fiat. Sed hæc horum Doctorum ratio inanis, ac falsa est, ostenduntque se parum in his expertos; quippe cum plerumque mulieres soleant maxime mensuris fluentibus in Venerem accendi. Avic. lib. 9. de Animal. cap. 1. quod etiam habet æquivalentem causam, excelsunt enim loca à confluentem ad eam partem sangu-

ne, unde Veneris stimulus augetur; immo si adnotassent hoc in Brutis, non tam facile hæc protulissent; Bruta enim tum demum incipiunt in Venerem excitari, cum mensura, aut quid simile patiuntur. hoc enim pacto Brutorum foeminas ad Marium desiderium, & conjunctionem irritari natura voluit, nam alias non facile patenterent se iniuri, ut patet extra prædictum tempus. si ergo secundum communioem opinionem mulier absque ullo peccato, potest debitum exigere tempore mensuræ, certe etiam si aliqua culpa in hoc interveniret, tunc maxime excusaretur, si exigeret, & Matrimonio ad compescendos carnis stimulos uteretur, quos tunc acutiores, & molestiores experitur, quam alio quocunque tempore. contra autem vir non videretur ullo modo excusari, si exigeret debitum a menstruata, immo potius culpam, cum non solum ex injuriam exactione plerumque illi mala imminant, de quibus quæstione superiori, sed etiam quia ipsa mulieris coquinatio ex mensuris deberet ipsum magis alienam à Veneris usu efficere, & potius in eo carnis stimulos obtundere, quam acutiores reddere. an non Brutis ipsis nascam moveret procedens à foeminarum uteris colluctans? consideranda ergo & hæc cum iis sunt, quæ jam prædicta quæstione commemoravimus.

Præterea dubitari potest, an vir exigere possit debitum ab uxore, quæ certo gravidationis tempore abortit, aut ab ea, quæ semper mortuos parit. non queritur autem hic, an exigere possit ab hac ipsa uxore tempore prægnantis, sed extra prægnantiam. nec dubitatur de hoc immerito, quippe cum mulier abortum faciens, aut mortuum fœtum pariens semper rationabili, & evidenti periculo vitæ subijcitur, quibus adde periculum ipsius fœtus, qui in his, quæ sæpe abortiunt, plerumque aut non vivus, aut non vitalis editur, & sic ipsi fœtui periculum imminet amissionis vitæ temporalis, & spiritualis; videant ergo Canonistæ, an sanus videatur determinare, quod vir cognoscens hæc omnia Matris, & fœtus pericula non possit absque gravi culpa debitum exigere, & si exigat, quod possit Mulier licite excusari, ut non reddat, quod non est dubium; licite enim negari petenti conjugi debiti redditionem, quodocunque propriæ vitæ rationabiliter timetur, ut in hoc casu, jam superius firmatum est. Sed quoad abortum primo dicendum videtur, dupliciter mulierem ex abortu affici posse, uno modo quando facile liberatur ab ejus noxa, & expedite tolerat ejus symptomatis molestiam, quemadmodum evenire interdum dixi lib. 1. tit. 4. q. 4. num. 106. quibusdam mulieribus, quæ non magis ex abortu afficiuntur, quam ex simplici menstruo fluxu, & vidi jam præteritis annis mulierem duodecies abortum fecisse quinto semper, aut sexto mense, aliamque quinquies supra vigesies secundo, aut tertio, quarum neutra quicquam notatu dignum patiebatur, nisi posteriori posterioribus abortibus; in quibus licet male admodum se habuerit, sana tandem evasit. alio modo quando mulieres ex abortu manifestum vitæ periculum subeunt, ac pessime se habent. an igitur possit in priori casu dici, non sic illicitum esse exigere, ut in posteriori? nam in priori sperandum est, ut alias, mulierem non magno negotio incolumem futuram, licet hoc de necessitate sequi necesse non sit; corporis enim status in dies variatur, & ab extrinseco, & ab intrinseco plura in dies emergunt, quæ periculo aniam præbere possunt.

sunt. imposterio autem contra, timendum enim, ne in futurum mulier ex abortu pejus se habitura sit, quam prægresso tempore, quo magis namque morbus reverfionem facit, eo magis invalescens magis Naturam labefaciat.

10 Aliter autem decidendum forte esset circa exactionem debiti ab Vxore, quæ semper mortuos pareret, five iusti temporis fetus existant, five saltem provectiores ut septimestres, vel octimestres; absolute enim dicendum videtur, quod stante rationabili, & evidenti Mulieris periculo, vir omnino teneatur ab exactione abstinere, & mulierem ipsam teneri, stante eodem periculo, non reddere; nam & Maritus, & Vxor aut exigendo, aut reddendo videntur aut in seipsos, aut in alium graviter peccare exponendo se periculo tam evidenti. moderanda tamen hæc sunt, his non obstantibus, maxime quoad virum, quia vir potest debitum exigere, & Venere uti absque eo quod Mulier semen emittat, & sic non emittente muliere, conceptio non sequitur, & cessat omne abortus, & vitæ periculum, quod absque dubio adaugetur, si foemina concurrat in emissionis feminis cum viro, unde ex hoc erit magis prohibita exactio mulieri, quam viro. Quæ tamen (veluti cætera omnia quæcumque, & hic, & alibi dixi, aut dicturus sum ad Canonistas pertinentia) ad eorandem Canonistarum mentem sunt redigenda, ac moderanda.

11 Occurrere posset insuper doctum circa eam, quæ semper Gemellos pareret, cum enim in hoc quoque casu duplex immineret periculum & ipsius mulieris, quæ geminos pariendo vitæ discrimini exponitur, ut dixi alias lib. 1. tit. 2. q. 7. num. 14. & ipsorum fetuum, quia difficillime servantur. Avic. 2. 1. 3. tract. 1. cap. 17. ex quo dixi alias ubi supra q. 8. num. 9. non videretur licite vir posse exigere debitum, & multo minus foemina. sed hoc dubium leve est, & secus quam superiora resolvendum: præterquam quod enim non sequitur de necessitate, ut quæ bis, aut ter geminos pepererit, semper in posterum gemellos parere debeat, dato etiam quod de necessitate id sequeretur, tamen dicendum quoad matrem periculum, cui illa exponitur, neque tam evidens, neque tale esse; ut ex illo mulieres secundum plurimum periclitentur, nam potius ut plurimum servantur: quoad fetus autem dicendum melius absque dubio illis esse aliquo, quam nullo modo esse, itaque non videtur hæc causa sufficiens ad impediendam debiti exactionem alterutri ex conjugibus.

12 Præterea dubitari potest, an Mulier exigere possit debitum à viro, qui aut volens, aut non potens semen emittere, coitu tamen uteretur, ut suam ipsius cupiditatem mulier expleat. Sed de viro, qui volens pollutionem remoratur videbimus infra quæstione sequenti, cum quaeremus, an vir possit inchoatum coitum non absolvere. de viro autem, qui non potest semen emittere, jure dubitatur, non enim ambigendum est, ex tali coitu nunquam sequi posse conceptionem, coitumque hoc modo irritum esse, & sola voluptatis causa exerceri; at coitus sola voluptatis causa factus saltem veniale inducit, ut supra ex Canonistarum decreto dixi, ad quos licet hujus dubii decisio, non ad Medicum spectet, illud addere non desitam, quod si verum est hujusmodi viros arrigentes, sed semen non emittentes inter frigidos connumerandos non posse contrahere matrimonium, ut probat Sannazar. de Matrimo, cap. 3. artic. 4. à num. 11. ad seqq.

13

verum etiam erit, eos non posse Matrimonio uti. an forte distinguendum, dicendumque Virum vel ante contractum Matrimonium fuisse hoc modo affectum, nempe frigidum, vel post contractum ex valetudine talem evasisse? Fortassis enim in primo casu quemadmodum Matrimonium non tenet, sic non licet Matrimonio uti, in secundo contra. sed hæc isti, ad quos pertinent decidenda remittantur. Illud dubium facit, cur foemina semen non potente emittere, vir tamen coitu uti possit, & Matrimonium teneat, contra vero viro non potente emittere coitus sit illicitus, & Matrimonium non teneat, cum in nostra sententia etiam foemineum semen ut masculinum requiratur ad conceptionem? In utroque certe casu, licet succedere non possit conceptio, possunt intendi, & haberi duo alii Matrimonii fines, nempe & debiti solutio, & fornicationis prociocum. si ergo ad primum finem, nempe ad procreationem filiorum non facit hic Matrimonii usus, potest aliis duobus suppleri, non minus quam possit ubi alia quacunque ex causa omnis spes habenda proliis sit irrita, ut in Matrimonio evenit inter decrepitos contracto.

De lactante muliere jam locuti sumus in superiori quæstione quomodo, & quantum excusetur à debiti redditione. modo dubitari potest, an ipsa lactans mulier debitum possit exigere, videatur autem eadem causas, quæ lactantem excusant à redditione, prohibere eandem ab exactione. relictis tamen his, quæ ad Canonistas pertinent, dicam id, quod considerate spectat ad Medicum. nempe quod licet, ut alias dixi, non simplex, sed duplex, imo etiam triplex periculum imminuat ex coitu lactantis in lactentis pueri damnum, & in conceptus etiam si quis sequatur, tamen hæc habent locum in coitu frequentato, & ubi timetur facilis conceptio. itaque cum ex rariori coitu sanguis lactantis non ita turbetur, & nisi sequatur conceptio (quæ tamen non est semper æqualiter timenda) cessent etiam omnia commemorata damna, dicendum, non esse omnino prohibendam lactantem Mulierem ab exactione debiti de raro facta, si modo acutiores carnis stimulos experiat; & ratio est, quia majus expectandum damnum & lactenti puero, & ipsi mulieri ex abstinentia, quam ex usu coitus, ubi mulier illum vehementer appetat. frequentem tamen exactionem semper esse noxiam dicendum, ob rationes, de quibus alias.

Dubitatur denique, an Conjuges exigere possint debitum ex sola sanitatis causa. ratio dubitandi est, quia copula Matrimonialis ad hunc finem non est instituta, abutuntur ergo Conjuges Matrimonio, non deligentes ejus usum ad aliquem ex illis finibus, ad quos est ordinatum. Præterea Venus semper nocua est, neque veritatem habet unquam ad sanitatem, vel ad alicujus morbi allevationem ex usu esse per ea, quæ adduxi lib. superiori tit. 1. quæst. 5. num. 6. non solum ergo debet prohiberi Veneris usus ad hunc finem conjugatis, quia Matrimonium non exercetur hoc modo ad aliquem ex institutis finibus, sed etiam quia sanitati obest, & inaniter procuramus per eam sanitati consulere. Dicendum tamen secundum Canonistas, nullam habere culpam exigere debitum causa sanitatis. Summa Ang. par. 1. verbo debitum conjug. num. 24. tamen veriore opinionem esse credat, quæ hoc veniale

veniale peccatum esse existimat, quam sequitur etiam Summa Silvestri. verbo debitum conjugali num. 13. Sanchez. de Matrim. lib. 9. disp. 10. num. 3. Coninc. de Sacram. disp. 34. dub. 1. num. 12. tom. 2. & licet Sanchez addat, hoc verum esse, quando aliud medium aptum ad tuendam præsentem sanitatem, aut ad amissam recuperandam non reperitur, tamen cum hoc medium non sit illicitum, siatque absque vite dispendio, & facilius executioni demandetur, quam quæcumque alia à Medicis præscribenda, forte etiam suppetentibus aliis mediis, non erit culpa hoc remedio ad sanitatem uti, quia semper saltem implicite intendi potest aliquis ex illis finibus in usu Matrimonii intendendis. secundum Medicorum autem communiorum opinionem dicendum, Veneris usum nonnullis morbis auxiliis esse, & sanitati etiam custodiendæ proficere, ut probavi loco citato. num. 7. & seqq.

SUMMARIUM.

- 1 Conjugi leproso sanus an teneatur reddere.
- 2 Tex. in cap. Quoniam de Conjug. Lepros. de quoniam Lepros. loquatur.
- 3 Cuinam ex Conjugibus certius imminet infestationis periculum ab altero.
- 4 Vir Gonorrhæa laborans an possit debitum exigere.
- 5 Gonorrhæa duplex.
- 6 Sanus conjugis an teneatur reddere infirmo exigenti, cui Venus furtiva est maxime nociva.
- 7 Sani conjuges an teneantur vicem reddere, si ex coitu notabilem morbum solent incurere.
- 8 Conjugi Satyriasi, aut consumptis morbo laboranti an sit reddendum debitum.
- 9 Mulier an teneatur reddere viro, qui nimis crasso, aut longo Pene doctur, & num. seq.
- 10 Vxor imperforata, an teneatur vir reddere debitum.

De his, quæ conjuges à redditione debiti excusant ex parte alterius.

QUESTIO V.

Primo loco offertur diu agitata inter Canonistas quæstio, an nimirum sanus Conjugis teneatur reddere debitum conjugi leproso, extatque circa hoc præceptum in cap. Quoniam de Conjug. Lepros. jubens esse reddendum; cum tamen alia ex parte certum sit, neminem teneri cum propriae salutis periculo, aut notabili sanitatis detrimento debito satisfacere, ut superioribus quæstionibus ex Canonistarum auctoritate dictum est; at ex Leprosæ promptissime infici potest sanus conjugis à leproso, unde non modo summum imminet sanitatis detrimentum, sed etiam manifestum vitæ periculum, quia Leprosæ cancer universalis est ipsum corpus depascens, ultra indicibile, quod secum affert, rædium, & inenarrabilem molestiam, quæ homines affligit, & abominabilem turpitudinem cæteris hominibus odiosam. itaque ex his moti aliqui DD. in ea re decidenda judicantur distinguendum esse, ac tum demum teneri sanum conjugem voluerunt reddere debitum, cum Leprosæ non est contagiosa, ubi vero Medicorum judicio contagiosa

fit, & sano imminet infectionis periculum non tenetur. Sum. Silvestrina verbo debitum conjug. num. 2. par. 1. Tolet. Instruct. Sacra. lib. 7. cap. 24. num. 3. Coninc. de Sacram. disp. 34. dub. 2. num. 22. Tom. 2. Bonaccini. de Matrim. quæst. 4. num. 8. par. 1. quam sententiam facit DD. communem Barbof. in Collect. Doctor. in lib. 4. Decret. tit. 8. cap. 2. num. 2. & videndi allegati ibi per eum.

10 Noto tamen ego in textu, Pontificem in primo capite loqui de Leprosæ contagiosa, cum dicat, tali morbo affectos solere ejici ab hominum societate, quod quemadmodum ob solum contagium fit, ita de Leprosæ non contagiosa non verificatur. mox autem in secundo capite præcipit, Conjugi leproso exigenti, debitum esse reddendum, unde apparet, Pontificem de eodem morbo loqui, de quo locutus fuerat in præcedenti. Verumenimvero subsequenti illa verba nempe, seu alia gravi infirmitate detenta, id videntur importare, ut Textus ibi non loquatur de Leprosæ respiciendo contagium, vel in respectu contagii, sed respiciendo gravitatem ipsius morbi; non solum enim in Leprosæ, sed in quacunque alia gravi infirmitate voluit illud præceptum habere locum, hoc est, ut Conjuges ob gravem infirmitatem se invicem non deserant, aut dimittant, quin etiam ut alter alteri exigenti teneatur solvere debitum. sed ad hoc videtur posse quæ attuli lib. 3. quæst. 6. num. 15. & seqq. ubi etiam licet videre quæ addidi de morbo Gallico, qui & ob symptomatum similitudinem & gravitatem, & ob contagium videtur Leprosæ natura convenire. quod & Card. in lib. Hipp. de Alim. tex. 26. dicebat. Immo non deservunt qui nonnullos Gallico morbo affectos Antiquorum Elephantiasis infici censuerunt, quæ unus idemque morbus cum Leprosæ pessima, & consummata est, & idcirco Gallicum morbum novum non esse crediderunt Langius lib. 1. epist. 42. & Valles. in 4. Epidem. tex. 1. ubi loci in quibusdam ægrotantibus observata videntur omnia symptomata, quæ Gallico morbo sunt familiaria, & ex quibus ejus essentiam, & naturam assequi solemus; licet supra citatæ opinioni nempe quod Elephantiasis sit idem, quod morbus Gallicus ex Leonici auctoritate contrarietur Fracastor. lib. 2. de Contag. cap. 13. per totum, ubi ad id multas quoque adducit rationes, quamquam & ipse lib. 1. Syphilitidis partim conveniat cum illis, qui morbum Gallicum novum non esse censuerunt, sed alias visum, ut patet in seqq. carminibus:

De genere hoc est dira lues, quæ nuper in auris Exiit, & tandem sese caligine ab ara Exemit, dænosque artus, & vincula rupit. Quam tamen (æternum quoniam delabum ævum) Non semel in terris visam, sed sæpe fuisse Dicendum est, quænam nobis nec nomine nota Hæctenus illa fuit, quoniam longæva versustas Cuncta sibi involvens & res, & nomina delet. Nec monumenta parvum seri videre nepos.

Sed quicquid sit de hoc, ne de novo ea, quæ loco citato retali; hic repetere cogar, cum jam ad eum Lectorem remiserim iis, quæ inibi dicta sunt subsequenti addere libet, quæ utrique etiam loco inferri possunt. videndum ergo est cuinam ex Conjugibus certius, aut majus imminet infectionis periculum, Virone ab Vxore, an Vxori à Viro ex contagioso morbo, qualiscunq; tandem sit. Summa Silvestrina par. 1. verbo debitum conjug. num. 2. ex Medicorum

corum auctoritate. Sanchez de Matrimon. disp. 2.4. num. 19. ex Canonistis voluit certius periculum infectionis imminere viro à muliere Lepra, aut alio contagioso morbo infecta. sed cum Medicorum opinio ea sit, de qua testatur Forest. lib. 32. *Observat. 1. in Schol. corpora*; quae molliorem carnem sortiuntur promptius contagium excipere, quam quae solidiorem habent, certe mulier, quae molliorem habet carnem promptius inficitur, quam vir. Neque ob hanc tantummodo causam mulier facilius à viro inficitur, sed etiam quia ipsa à viro excipit materiam feminalem corruptam, & contagio infectam in proprium uterum, ubi etiam per aliquod spatium commoratur. at vir nihil recipit à ipsa muliere, sed tantummodo se cum illa committendo per contactum, ac illam quidem non nisi multoties repetitum plerumque inficitur, quin facile emundando se, ab ea infectione se liberat, quod non tam facile evenit de muliere, in cuius utero haerent interdum, ac saepissime infecti seminis villis reliquiae, quae ab ipsius calore, & humiditate fortè facile contagium excitare possunt, cumque mulier non modo secundum rotum, sed secundum genitales maxime partes multo humidior sit, quam vir, certe impressionem facilius excipiet viro. simpliciter ergo loquendo, dataque paritate ex sua natura mulier promptius à viro inficitur, quam è contra, licet contracta infectione difficilius se liberare possit vir, quam mulier ob id, quod non ut mulier per aeternam possit sanguinem à corruptis, & venenosis humoribus singulis mensibus expurgare. tametsi mulieres pessime à morbo Gallico exceptas, nec minus quam viros difficulter ab eo se vindicare comperiamus. Sed profecto in hac re decidenda temperamenta, & aetates sunt etiam considerandae, tenella iuencula à seniori viro facillime inficitur, difficillime senior vir à muliere iuniorè. Iunior item vir, ut pubes, à seniori muliere facile contagium contrahet, difficulter senior mulier à pubescente matre, & sic de singulis, idemque de temperamenti statuendum, & de corporum ipsorum habitu, & textura. Sed aliud addunt Canonistae, quod omnino à rei veritate abest, circa debiti redditionem à sano Coniuge faciendam leproso Coniugi, nempe quod non ita est periculum infectionis in reddendo debito, sicut in cohabitando. ita summa Ang. par. 1. verb. *conjug. num. 4.* & Summa Silvestr. par. 1. verbo *debitum conjugale num. 1.* & alii, quod tamen nequaquam verum est, nullus enim actus, sive contactus promptius, ac evidentius inficere potest quam veneris usus, qui non solum timeri debet ubi ipsa mulier lepra laboret, sed etiam ubi absque eo quod Lepra laboret cum leproso viro rem habeat, nam sano viro huic mulieri copulari esset periculosum; ut notat ex Medicis Gordon. in *Lil. par. 1. cap. 22.* & ex Canonistis Sanchez lib. 9. *disp. 22. num. 20.*

Sed cum de morbo Gallico incidit mentio, & Gonorrhæa sit symptoma ut plurimum præcedens, vel concomitans morbum Gallicum, videndum, quam veritatem habere possit id, quod Sanchez determinat dicens, quod viro Gonorrhæa laborante nulla sit culpa exigere debitum, adde tu, idem valere in more eodem symptomate affecta, cum idem periculum, quod uxori impendit à viro, impendat viro ab uxore, si de virulenta Gonorrhæa loquamur.

Adverte igitur Gonorrhæam in duplici esse differentia, alia enim est vera, alia falsa; vero Gonorrhæa seminis effluxus indefinens est absque voluntate factus, falsa, vel pseudogonorrhæa est morbificæ materiae per genitales partes perpetuus effluxus; cuius sunt duae species, nam alia quidem virulenta est, & contagio communicabilis, alia non virulenta, nec contagio communicabilis. Vera Gonorrhæa hominem emaciat, illumque ad tabem non longo tempore perducit, & idcirco cum non sine summo vita periculo in hoc affectu infirmi concubitu utantur, facile Canonistae decernunt, ut mihi persuadeo, neque exigere, neque reddere debitum conjugis invicem posse absque mortalis culpa reatu. Pseudogonorrhæa virulenta præterquam quod generationem impedit, affectu interdum molesta symptomata, & morbos, etiam nonnullos accessit, maxime autem ob alevus in meatu urinario carunculas excitans, & difficultatem, & quandoque etiam urinæ suppressionem conciliat. est autem hæc ita contagio communicabilis, ut ex eius contagio interdum non simplex Gonorrhæa, sed mille Gallica symptomata, atque illa quidem gravia homines contrahant, & in summa aliquando ex eius tantum vitio gravissimi Gallici morbi concipiant semina. unde videndum, an debeat hoc periculum retrahere hominem ab exactione, & excusare à debiti redditione. Pseudogonorrhæa non virulenta præter turpitudinem, & molestiam continui effluxus materiae morbificæ, nullum insigne afferre consuevit incommodum, nisi quod interdum ipsa quoque in viris carunculas excitat, nunquam tamen par incommodum affert cum virulenta, præterquam quod contagio caret. Itaque cum Sanchez determinat nullam esse culpam exigere debitum à Coniuge Gonorrhæa affecto, videndum de qua Gonorrhæa intelligat, in vera enim hoc non potest habere locum, ut dixi; in virulenta autem non ita facile dictum est, quid sentiendum, in posteriori forte locum habere poterit illius opinio; ut ego existimo, licet hæc, ponderatis his quæ illis ponderanda obijcio, ipsi Canonistis remittenda sint.

Secundo dubitatur, an sanus Coniunx teneatur reddere debitum Coniugi non aperiabili ægritudine laboranti, stante exigenti notabili periculo ex Veneris usu. in quo dubio advertendum, disparem esse periculi rationem in Viro, & in Vxore, quod alias quoque admonui. nam Viro reddere debitum graviter ægotanti tantumdem est, ac illum jugulare, at feminae etiam graviter ægotanti reddere debitum, si à marito exigatur, licet nocuum esse possit, non eisdem periculi erit, ut jam supra quaestione tertia dictum est. ratio esse potest, quia vir quadruplo magis, quam femina in coitu dissolvitur tum ob majorem laborem, tum etiam ob copiosiores utilis materiae effusionem. Secundo advertendum, quod & alias admonui, mulierem minima, aut etiam nulla virium jactura posse debitum reddere, satis enim est absque eo, quod semen emitat, ut se à viro iniuri patiatur. quod si etiam exigendo debitum semen effundere cupiat, non potest hoc esse absque evidentis periculo, nisi morbus ex iis esset, quibus venus aliquo modo succurrere potest.

Tertio dubitari potest, an conjuges teneantur invicem reddere debitum, si sani quidem sint, sed tamen insigniter alteruter eorum à coitu oblati soleat,

soleat. in quo casu peculiaris est dubitandi ratio, ut dicam: nam sunt ex viris maxime, qui Veneris laborem nullo pacto sustinere possunt, quin aut cito dissolvantur, aut stomachi, cordis, ventrisve affectus, aut dolores contrahant, aut vertigine tententur, aut alio quodam notabili symptomate afficiantur. quin etiam quædam mulieres ex coitu uterinos dolores, lipothymiam, syncopem, aliofque affectus incurere sunt paratæ; quemadmodum Scorto cuidam, cui Angelæ nomen erat evenire consuevit narravit mihi Joseph Ghillerius Romæ inter primarios Urbis Medicos multa, ac merita cum laude medicinam exercens. quotiescunque enim mulier hæc cum viro congressiebatur, maxime si bene mentulata existeret, in syncopem levem incidebat, si vero & ipsa semen emitteret, in graviores syncopem lapsa longiusculo temporis spatio ad se redibat, nonnullisque in posterum diebus decumbere & ex lassitudine, & ex ventris dolore cogebatur. sic & Dysferidis ancilla Larissæ, narrante Hippocrate lib. 5. de morbo. vult. num. 12. cum Venere uteretur dolonibus vehementer affligebatur. eodem quoque pacto Scortum aliud apud Marcellum Donatum lib. 4. de med. histor. mirab. cap. 17. in princ. cui nomen erat Lucretia, cum coitu uteretur animo liquebatur, & alios huic similes casus narrat alii, in quibus peculiariter considerandum, an si petant, sit illis debitum reddendum, cum enim hæc vitia sint ut plurimum connaturalia, certe si infirmus prohibeatur exigere, & sanus reddere, Matrimonium omni bono sine frustrabitur; alia autem ex parte coitus his adeo nocuus esse potest aliquando, ut subitam mortem obeant, aut in longos, & difficiles morbos, aut in pertuum valetudinem labantur; nisi ergo noxa sit levior forte non tam promptè Canonistæ concedent in hoc casu vel exigere, vel reddere.

Quarto occurrere potest dubium, an Coniugi Satyriasi, vel furore uterino, vel inordinata coeundi cupiditate affecto possit licite per alium debitum reddi. ratio dubitandi est, quia venus his, qui hujusmodi symptomatibus detineantur, plerumque noxia est, maxime vero uteri pruritu, quæ passio est furori uterino congener, quam à coitu efferrari magis quam mitiorum reddi dicit Mercurialis lib. 4. de morbo. mul. cap. 8. quod palam etiam fit in nuper devirginitatis juvenulis, quæ ob extraneum calorem ex violenta devirginationis conceptum, hujusmodi pruritu molestata magis libidinose evadunt ex ipso Veneris usu, ut ex Arist. lib. 4. problem. refert Franc. Ranchin, de morb. Virg. scilicet 3. cap. 2. rubr. de fur. uterini. Itaque duplici ex capite excusaretur sanus Coniunx à debiti redditione in his casibus. uno quia tales possunt absque discretionem, & immoderate exigere, alio quia ex redditione exigens notabiliter lædi potest, unde neque etiam si moderate, & cum discretionem exigeret, durante morbo, teneri forte videtur sanus debitum reddere, esse enim in nimium exigentis præjudicium, qui tum temporis in his, quæ ad Venerem spectant, vix compos mentis esse solet. Dicendum tamen, quod ubi hujusmodi morbi ex feminis abundantia ortum habeant, cum moderata venus illis pro remedio sit, ut idem dicit Mercurialis lib. 4. c. 10. sanus Coniunx teneatur exigenti moderate reddere. neque obstat quod Ranchinus ex Aristotele dicebat, quia loquitur ubi simplex calor passionem

faciat, at ubi furor uterinus, tentigo, pruritus, & similes passionem ab exuberantia seminis ortum ducant, Veneris usu eas omnino effervere, ac curari experientia docet.

Quinto vertitur in dubium, an mulier teneatur reddere debitum viro, qui nimis crassiori, aut nimis longiori mentula dotaretur. & quoad crassitatem, (nisi adeo immoderata appareat, ut sit monstruosa) si vir cautus sit, & cum moderacione agat, neque cum impetu, & irrationabili violentia in agrum Naturæ irruat, & ubi etiam opus sit, aptis medicamentis, nempe uteri angustiam relaxantibus utatur; & nisi altera ex parte uteri angustia tanta sit, ac tam præternaturalis, ut Medici magis, quam Mariti operam desideret, nullum notabile secum periculum ea inducere potest, si aliqualem dolorem, aliqualemque, sed modicam lacerationem in primis congressibus factam excipias. nonne vides tenellarum luvencularum uteros in primo partu puerum emittere, cuius caput decuplo majus aliquando est, quam quævis etiam crassissima mentula humana? illud certe palam est facile uterum dilatari, ac constringi, & vix hominem reperiri posse tam crasso membro dotatum, qui jactare illud possit, quod in obscænis habetur.

Commoditas hæc est in nostro maxime Pene,

Laxa quod esse mihi scemina nulla potest.

Cui diticho æquivalens novum hoc est de cunno angusto:

Maxima noster habet virgilitaque commodum,

Parva quod esse mihi mentula nulla potest.

Itaque nisi aliud obstat, ut esset uteri præternaturalis angustia, aut muliebris corporis exiguitas, & habitus monstruosa gracilitas, non videtur ex hac exuperanti mulieri magnitudine ullam notabile periculum mulieri imminere, ut dixi alias lib. 3. tit. 1. quæst. 6. num. 3.

Neque obstat, quod membri crassities interdum ipsius uteri vasa aperiendo, & lacerando sanguinis fluxum, & menstruum nimis excedentem copiam adfiscere possit, ut notat Mercurialis lib. 4. de morbo. mul. cap. 2. nec quod addit Hucher. lib. 1. de sterilit. cap. de magnitud. Pen. nimirum hanc membri magnitudinem posse urinæ incontinentiam, Diarrhæam, inflammationem, aliaque symptomata excitare, quia hæc locum habent tantum in violento concubitu, & absque ulla discretionem, nec cum memoratis cautionibus celebrato.

Dispar tamen ratio est, ubi vir mentulam habet nimis longam, ita ut facile concubens in internum uteri osculum violentè impingeret; tunc enim, & magis notabile, & evidentiùs immineret periculum, cum dolore gravem, sanguinis rejectionem, inflammationem, ligamentorum disruptionem, atque alia nonnulla symptomata excitare posset. præterquamquod excitando dolorem, omnem Venetis jucunditatem, ac delectationem mulieri adimeret, unde etiam conceptio omnino impediretur, ut percurrit idem Hucher, loco citato. quod autem longitudo nimis ipsius Penis per se sit causa, ut semen infœcundum evadat, eo quod ob eam meatus longitudinem perfringeretur, antequam ad uterum perveniat, quod primo Aristoteles lib. 1. de Gener. Animal. cap. 6. & post illum multi Medici, ac Philolophi tradiderunt, non immerito ab eodem Huchero ubi alias improbat ob nimiam viæ brevitatem, quam permeat, quantumcumque mentula longa sit, & ob uteri, ij. A a a 2 à quo

à quo illico excipitur (immo inquam attrahitur) caliditatem. Vtrum autem supradicta sanitatis pericula tantæ molis sint, ut in considerationem venire debeant, maxime cum caute agendo vitari possint, forte negative resolvendum. certe ad hoc saltem videbatur necessarium de his mentionem habere, quia facile eventu est, ut mulier à viro discedere cupiens, thori separationem ex hac causa procuret, & proprium periculum causetur, & tunc Canonistæ palam ex dictis habebunt, an mulier iusto timore ducatur, necne, & an hæc causa sufficiens esse possit ad illam excusandam à debiti redditione, vel ad thori separationem illi concedendam.

¶ Sexto in dubium verti potest, an vir teneatur reddere debitum uxori imperforatæ, nempe quæ uteri clausuram paritur incurabilem; sunt enim mulieres nonnullæ, quibus membrana in medio uteri collo obtenditur, aliquando tam dura, ut nulla irruentis viri violentia dirumpi possit. has Atretas, imperforatas, ac velatas vocant, de quibus alias verba feci. videretur autem, virum teneri his reddere debitum, maxime si concipere possint, ut nonnullæ possunt; nullo enim sine videtur destitui hoc Matrimonium, ita ut irritari possit, dum ultra ceteros etiam hunc, qui præcipuus est, habere potest, nempe sobolis procreationem, quia ut Hippoc. auctoritate, aliorumque Medicorum alias dixi lib. 3. tit. 1. quæst. 7. num. 24. & seqq. huiusmodi mulieres possunt concipere. Immo etiam hoc sine destitueretur, tamen non excusari deberet vir, quin redderet, quia neque ipse vir, neque mulier impediuntur, quin semen emittant, unde uterque eorum potest habere remedium concupiscentiæ, & usu Matrimonii mutuam dilectionem fovete. ergo etiam ex hoc capite mulier sterilis esset, tamen non esset illi denegandum debitum, quia & sterilitum Matrimonium valet, & sterilibus etiam ex alia magis irreparabili causa debitum est reddendum, quia etiam abstracta à Conjugio omni spe habendæ prolis, tamen Conjugium non est irritum, Sanchez de Matrim. lib. 7. disp. 92. num. 26. in alias dixi. si ergo inter hos Matrimonium valet, recte Matrimonio uti poterunt. Neque dicendum idcirco in hoc casu non esse reddendum debitum, quia necesse est, virum extra vas femineum semen effundere, & hoc fieri non posse absque peccato, quia id non videtur habere locum in hoc casu, cum non possit dici, virum extra vas semen effundere, si intra uteri collum effundat; quemadmodum neque ille extra vas effundere dici deberet, qui vel per negligentiam, vel aliqua alia ex causa ad intima uteri concumbendo non perveniret, sed in media femina semen emitteret: totum enim uteri collum vas illud dici debet, in quod semen projiciendum est, sufficitque ad hoc, ut vir dicatur, intra vas effundere, ut intra uteri labra emittat; satis namque est, ut in locum emittat, unde uterus sua attractrice facultate illud ad se allicere possit, ut inde conceptio sequatur. Alia tamen ex parte videretur in hoc casu debitum non esse reddendum, cum subsit manifestum vitæ periculum ipsius mulieris, si concipiat ex una, & ex alia semen ob membranz impedimentum retrocedat, at tandem sic illud extra vas effundere; quibus consideratis Canonistæ determinabunt, an Matrimonium cum his feminis valeat, an debitum reddi debeat, & huiusmodi alia du-

bia, quæ circa hoc occurrere possunt, mihi satis sit ea, quæ ad Medicum cognoscere spectat, præmonstrasse.

## S V M M A R I V M.

- 1 Viri an liceat, aut mulieri medicamenta assumere ad Venerem excitandam.
- 2 Vir an possit se medicamentis validiorum reddere ad Veneris usum.
- 3 Vir an teneatur post feminis emissionem copulam continuare, ut uxori integre satisfaciatur.
- 4 Conceptio non sequitur, nisi conjuges ambo simul semen emittant.
- 5 Coniunx an possit remorari pollutionem, in alterius emissionem expectet.
- 6 Coniunx an possit pollutionem remorari, ut interim alter pluries polluat.
- 7 An inchoatum coitum non absolvere liceat.
- 8 Seminacionem extra vasa fieri quomodo sit intelligendum.
- 9 Pollutio voluntaria extra vas est peccatum mortale secundum Canonistas.
- 10 Pollutionem extra vas quando dicatur vir facere.
- 11 Mulierem extra vas pollui quid sit non potest exponi.
- 12 Viri an possit post coitum surgere, & urinam reddere, ut semina excusatur, ne conceptio sequatur.

Examinantur nonnulla, quæ secundum Canonistas in usu Matrimonii cum peccato inter Coniuges contingunt.

## Q U Æ S T I O VI.

¶ Proponam in hac quæstione dubia nonnulla, de quibus nullam apud Canonistas factam mentionem invenio, cum nonnullis aliis, quæ & ipsi tetigerunt. primo autem quæro, an Coniunx, qui non est multum potens ad coeundum, teneatur, aut saltem licite possit, ut debito satisfaciatur, aliquo modo se ipsum potentior reddere, ut assumendo medicamenta calida, semen adaugentia, & sopitam Venerem proritantia. & non teneri absolute dicit summa Silvestr. par. 1. verbo debetum conjugale num. 2. ex Archid. auctoritate, nam satis est, ut inquit, si se non reddat impotentem, an vero possit licite id præstare non determinant. Dico igitur quantum ad Medicum spectat, quod primo in viro impotentia, seu ignavia, & debilitas ad Venerem exercendam potest habere diversas causas, quarum aliz nullo modo sunt amovibiles, ut est naturalis genitalium partium frigiditas, aliz vero sunt amovibiles quidem, quæ & ipsæ in duplici sunt differentia; vel enim in totum amoveri possunt, vel in partem, vel melius dicamus, alias vere amoveri, alias autem apparenter tantum, & quemadmodum priores amoveantur absque ullo sanitatis incommodo, immo cum ejus commodo, ita posteriores etiam amotæ appareant, & homo ad Venerem excitetur, nonnisi cum aliqua, & notabili sanitatis noxa id perficere solent. Priorum exemplum sit impotentia, quæ ex longo aliquo morbo successit, & ex diuturna convalescentia, in qua corpus spiritibus, & sanguine depauperatum

tum refrigerat; restauratis autem viribus facile impotentia cessat cum notabili sanitatis profectu; renutritur enim corpus, ac spiritibus, & sanguine repletur, unde utilis materia, feminisque copia procreata, facile veneriorum appetitus redit, & homo ad Venerem stimulat, ejus laboribus jam promptior, atque aptior evadit. Posteriorum exemplum esset impotentia in viro jam in senectute, vel in senio constituto, amovetur enim, vel amoveri videtur impotentia quibusdam Medicis auxiliis, quæ semen, sanguinemque acere, & genitales partes jam frigidiores solent exalfacere, flatumque infimul procreare, atque eo modo vir tantisper ad Venerem potentior evadit; quod non fit per amotionem causâ, sed per momentaneam quandam alterationem, & id circo succedere non potest, nisi cum magna virium jactura, & evidenti sanitatis noxa, si sæpe maxime medicamenta reiterentur.

Præterea finis, cujus gratia Vir procurat se potentior facere vel est simplex veneriorum voluptas, vel Proles desiderium, vel voluntas debito satisfaciendi, dicendum itaque videretur (salvo semper meliori Canonistarum judicio) in primo casu, nempe ubi causa est amovibilis procurare se potentem ad Venerem reddere ob procreandam prolem, non solum licitum esse, sed honestum, quia id fit salva etiam viri incolumitate, neque enim aliter amovetur tales causas, quam excitando calorem naturalem, & vires augendo; quemadmodum etiam licitum esset ubi id fieret causa reddendi debitum conjugale, quod etiam ex sola voluptatis causa fieret, non videretur tamen ullam habere culpam, quia vir dat operam, ut robustior evadat, & naturales actiones commode exercere possit, quod non videtur esse illicitum procurare licitis mediis, licet ex aliquorum Doctorum opinione summa Ang. verbo debetum conjug. num. 23. dixerit hoc esse peccatum mortale. de qua re alii DD. judicent. In posteriori casu, si causa habendæ prolis id fiat, non videretur illicitum, etiam cum aliqua, non tamen insigni, ac gravi noxa propterea sanitatis id fieret; quod si fiat causa satisfaciendi debito, ubi non timeatur evidens, & notabile periculum, adhuc forte non esset inhonestum; sed si fiat causa voluptatis tunc quidem omni proculdudio (nisi me mea fallit opinio) hoc tanquam illicitum, & peccatum inducens est improbandum.

Porro in femina non datur impotentia ad coeundum, nisi ex causa imperforationis, cujus curam tentare absque evidenti vitæ periculo, non est illicitum: alias nunquam mulier est impotens ad exercendam Venerem, sed aliquando fit ut in coeundo nullam percipiat voluptatem, quam Medici interdum aptis medicamentis procurant; ergo id in muliere vel fit ob solam voluptatem, vel ob Proles desiderium, cum privatio delectationis in coitu conceptionem secundum plurimum impedit, non fit autem unquam ex causa satisfaciendi debito, quia absque voluptate mulier satisfacit. ergo causa solius voluptatis medicamenta assumere ad percipiendam delectationem in coitu, forte non erit magis illicitum, quam exercere Venerem ejusdem voluptatis causa, verum causa habendæ prolis omnino erit licitum, immo forte tenebitur mulier cognoscens hoc sibi esse impedimento ne concipiat, ad ea medicamenta assumenda, ut in coitu delectata possit concipere.

Secundo dubitare licet, an quis possit, ut potentior ad Venerem evadat etiam ultra id, quod debiti redditio exoptulat, supradictis medicamentis licite uti; sunt enim quidam tam Veneris illecebris capti, ut ipsi se ipsos alias per se ignavos ad eam stimulare, omnique studio proritare satagant; præcipue autem ex senescentibus nonnulli, qualis Luperus ille apud Martialis lib. 3. Epigr. 33. in quem Poeta hoc pacto invehitur.

*Sic, Luperce, tibi jam pridem Mentula desit,  
Lætiaris demens tu tamen arrigere;  
Sed mihi Eruce facium, Bulbique salaces,  
Improba nec profunt jam Saturnia tibi.  
Cæpsiti puras opibus corrumpere buccas,  
Sic quoque non virum sollicitat a veni.  
Mirari satis hoc quicquam, vel credere possit,  
Qua non stat, magno stare, Luperce, tibi.*

In hoc ergo casu cum ad nullum laudabilem finem, sed solum voluptatis veneræ causa id fiat, & aliquando cum notabili sanitatis detrimento, videretur dicendum, non licere huiusmodi medicamenta assumere, cum coitum ab omni culpa immunem non esse jam dictum sit, si sola voluptatis causa fiat, quid ergo si accedat notabile amittendæ sanitatis periculum? nam certe quæcunque tandem ea medicamenta sint, quæ Venerem stimulant, nunquam sine aliqua notabili noxa aut assumuntur, aut in usum aliquando convocantur.

Tertio dubitatur etiam à Canonistis, an Vir teneatur post feminis emissionem copulam continuare, donec etiam mulier emittat. Sanchez de Matrim. lib. 9. disp. 17. num. 9. & Pontius de Matrim. lib. 10. cap. 11. num. 3. voluerunt, virum non teneri expectare, ut femina emittat, licet ille num. 11. & hic loco eodem dicant licere Marito copulam continuare donec mulier seminet. nullum tamen peccatum intervenire determinavit Sanchez ibid. num. 15. si ubi vir semen emisit, mulier ante proprii feminis emissionem à copula desistat, in quibus Canonistarum assertionibus nonnulla sunt, quæ grave dubitum excitare possant: quoad illud enim, quod adfert, non teneri virum expectare mulierem donec semen emittat, non videtur in omni casu tam simpliciter accipiendum, & solum forte habere locum, ubi vir à muliere exigat, nam exigente muliere videndum esset, an vir hoc pacto obligationi reddendi debitum satisfaceret. atqui duplici ex capite satisfacere non videretur. primo quia si debiti redditio respicere debeat generationem, jam absque eo, quod mulier semen emittat, nulla sequi potest generatio, ut communis est Medicorum opinio, quam luculenter quæstione prima roboravimus. quod si redditio debiti respiciat extinctionem stimuloz carnis, & coercionem incendii ejusdem, tantum abest, ut mulier à viro inita, & semen non emittens, ab ejusmodi stimulis vindicetur, ut potius acutiores eos experiat, non enim cessat libido donec semen effundatur. Peramat. de semine pag. 59. itaque quocumque mulier petiit reddi sibi debitum, credendum maxime est, illam ad explendum proprium desiderium id expectare. quod non ad simplicem copulam, sed ad feminis tendit emissionem, per quam solum illud desiderium illud esse vescit. non modo ergo vir non expectans mulierem in copula donec semen & ipsa emittat, non evitaret in illa, ut teneretur, incontinentiæ periculum, sed majorem in modum adaugeret; dupliciter namque mulier periclitaretur,

uno modo, qui animæ, alio, qui corporis respicit salutem. primus modus est, ut mulier vel in somnis, quod minimum est, vel ex se aliqua via polluat; nam pleræque offendens, quæ post viri congressum, cum proprium desiderium non expleverint, coxas iuicem sibi superponunt, illasque invicem constringunt, ac confricant, ut ea confricatione semen jam ad exitum stimularum, effundatur, hoc nonnullæ; quod manum abstineant, putant se sine peccato facere; quibus favent nonnulli Theologi, de quibus Petr. Hurtad. de Mendoz. in libb. de Gener. & corr. dispnt. 2. sect. 6. §. 84. qui putant, posse mulierem post congressum cum viro se provocare ad feminis emissionem, ut concipiat; quod quidem quemadmodum Medicis inane videtur, sic etiam Canonistis non esse sine culpa apparebit, quippe cum frustra omnino semen emittat mulier, nisi cum viro aut paulo post, vel ante emittat; nec majus peccatum existimandum provocare se ad feminis effusionem post viri congressum, quam extra viri congressum in idem enim utrumque recidit. secundus modus, qui corpoream respicit incolumitatem est, quia mulieres ad feminis expulsionem stimulant; & illud non emittentes histericos dolores, & affectiones, melancholicasque passiones facile incurunt. Ex quibus videretur potius dicendum, quod muliere exigente (& id quidem aut tacite, aut expresse, nihil enim ad hoc refert) maritus teneatur aut copulam continuare, aut non multo post, si fieri possit, ad eam redire, ut illa quod prima vice non potuit, secunda absolvat, nisi mulier ipsa expresse fateatur se prægressa copula esse contentam, & novam respuat, nam alias ob modestiam mulieres dicunt se contentas esse, cum non sint.

Sed contra objici potest, frustra Maritum copulam continuare, si generationem respiciamus, cum jam feminaverit; præterquam quod nova agitatione semen in uterum emissum facile excidit, non potest inde ulla sequi, ut diximus, conceptio, nisi simul cum marito, aut tantisper post ipsum mulier semen effundat, sic enim semina illico commiscuntur, & ab utero attracta conceptionis materia, & causa fiunt, alias non commixta, semen quod prius est effusum refrigeratur, & ab utero non conceptum excidit, aut, cum illa suum emittit, foras prodit. non ergo ad alium finem continuabitur copula à viro post sui feminis emissionem nisi, ut mulier etiam deleatur ex coitu, quod an liceat, non ita patet. Dicendum tamen, non esse necessarium ex omni concubitu sequi conceptionem, facilisque esse; si conjuges, quantum est ex se ipsis, non sint impedimento ipsi conceptioni, & præter eorum intentionem, & ex accidenti sit, ut ob id, quod simul semina non effuderint, nulla sequi poterit conceptio.

Verum cum dixerimus ob præarratas causas teneri virum expectare, ut mulier semen emittat, ubi illa debitum exegerit, videndum erat, an contra mulier teneatur expectare virum, sed de hoc nullum omnino est dubium, cum non possit mulier dici debito satisfacere, nisi patiatur se à viro injiri, donec ille semen emiserit, terminus enim copulæ est feminis emissio.

Quarto dubitari potest, an Coniunx licite pollutionem retinere possit, ut alium expectet, quo simul semen effundat, de qua dubitatione etiam Canonistæ verba fecerunt; circa quam tamen nonni-

hil ratiocinari nos invitat Medica speculatio. nam ex Ruso apud Onibasium lib. 6. Collect. c. 38. & ex Rafi. 24. Contin. cap. 1. feminis interceptiones, quæ in medio concubitu sunt renibus, & vesicæ pessimas esse constat; sicut est ex Avic. 20. 3. tract. 1. cap. 11. Spermatis retentionem, ejusque prætermissionem esse malam valde. quomobrem cum ex remorata pollutione notabile imminet periculum conjugibus propriae salutis, dicendum videtur non posse absque culpa conjuges pollutionem retardare. His adde, quod hujusmodi feminis retardatio potest etiam impedire conceptionem; nam semen ad expulsionem motum, & neque emissum, proprium vigorem amittit, evanescentibus spiritibus, indeque ipso refrigerato. indicio est post hujusmodi interceptiones & minori cum delectatione, & minori etiam cum impetu semen effundit, quod in viris assequimur, & in mulieribus consequens est eodem modo evenire.

Dicendum tamen est, aut semen jam motum esse, quod ex pruriente sensu, & ex incepta delectatione concipimus, aut non. quando ergo semen jam motum est, & desinitur à coitu, & tunc omnia inconvenientia sequuntur, quæ supra commemoravimus, & idcirco tunc, ut puto, non licet pollutionem retardare. At si semen adhuc non properat ad exitum, sed videtur tantum de proximo properaturum, tunc licet magis lente in copula procedere, aut ab ea tantisper desistere, ut alter Coniunx oportune semen emittat. Doctores autem loquuntur in priori casu, in quo ex feminis retardatione Renum, Vesicæ, & Testium tumores, Gonorrhæam, & meatuum obstructions in viris, in mulieribus autem histericas passiones facile succedere credendum.

Quinto dubitari potest, an unus coniunx, ut unico congressu alter pluries polluat absque prænotatis periculis possit pollutionem remorari; nam sunt qui suo libitu absque ullo incommodo in coitu commorantur, feminis emissionem procrastinantes, utrum ergo ad prædictum finem licebit his pollutionem differre? ac certe cum hoc non fiat ad aliquem honestum, ac laudabilem finem, sed tantum ad magis libidinem explendam, credo Canonistæ determinaturos licitum id esse non posse, maxime si inde aliquid notabile damnum alterutri ex conjugibus evenire possit. Sed licebit ne conjugi, qui salacior in Venere sit, & quam citissime semen effundat, seignior existente altero, interim se provocare ad iteratam pollutionem? hoc quidem non videtur habere difficultatem, si per Canonistæ licet Coniunx, qui jam feminaverit copulam continuare, donec alter quoque semen effundat, cur ergo non licebit salaciori, & qui citius emittit de novo emittere? nam non videtur ullo illicito medio ad hoc uti, nec quicquam ad hoc obstruere. Sed adhuc instari potest, an licet conjugi, qui præpropere semen effundit, medicamenta assumere, quæ feminis effusionem retardent? hoc posse habere varios fines notum est; vel enim id fit ad se magis in coitu delectandum, vel ad delectandam conjugem, vel ad faciliorem conceptionem, vel tandem, quia hoc modo non potest integre debito satisfacere; ac profecto duos priores fines illaudabiles esse uniusquisque affirmabit, videtur ergo tunc id à culpa immunem hominem non facere. duos posteriores laudabiles esse; unde peccato

cato carere Canonistæ determinaturos existimare licet.

Sextum dubium ex Canonistis movent Summa Ang. par. 1. verbo debitum conjug. num. 12. Sanchez lib. 9. ca. disp. 19. num. 14. & Pont. lib. 10. cap. 11. num. 9. & alii, & est, an liceat inchoatum coitum non absolvere, ut si mulier semen emiserit, an liceat viro absque feminis propriæ emissionem à copula desistere, & sic est contra. putarunt Silvestr. Rosell. & alii apud Pontium ubi supra, non licere; Summa Ang. tamen ubi supra, & Pontius ibidem, & alii contrarium putant verius, ea cautione uti, dummodo neque ad sit periculum spontaneæ pollutionis in altero conjuge, & sic hic alter ea copula contentus. ego tanquam Medicus in hoc meam sententiam dicam. & quod pertinet ad virum difficile esse credo non subesse semper spontaneæ pollutionis periculum, si à copula non emisso semine desistat: nam in Venere exercenda semper à parte viri concurrat necesse est calor, & spiritus ad genitalia membra, unde fiat erectio, dehinc ex motu, & agitatione majorem in modum loca excalescent, & semen facili negotio ad exitum excitatur; & sic si vir à coitu desistat facillime vel modica ex occasione etiam in vigilia, aut in somnis sequitur ejus effusio; quæ quidem non semper locum habent in muliere, quæ absque ulla interdum locorum excalescentia, absque ulla membrorum erectione, absque ullo veneris appetitu, absque ullo motu, & agitatione coitum exercet. In viro ergo magis periculosum est permittere, ut à coitu desistat non emisso semine; in muliere autem si in Venere accensa non fuerit, permitti quidem possit ex prædictis; sed si jam in Venere sit accensa periculosum etiam in ipsa erit, ut à copula desistat, quod melius ex iis, quæ n. 3. diximus, palam fit.

Dubitari præterea potest, quomodo intelligendum sit Canonistarum nonnullorum dictam, quod seminat extra vas in utroque Coniuge peccatum mortale inducat, si sponte sit facta, ut post alios dicit Pont. lib. 10. c. 11. num. 6. non revoco autem in dubium, an spontanea pollutio ex se facta sit peccatum mortale, hoc enim est clarissimum, cum & Ethnicis ipsis tanquam opus pessimum sit vituperatum, unde Martial. lib. 9. Epigr. 42. in Ponticum.

Pontice, quod nunquam fuis, sed pellice læva  
Veneri, & Veneri feruit amica manus,

Hoc nihil esse putas? scelus est mihi crede, sed ingens,

Quantam vix animo concipis ipse viro.

Nempe semel fuis, generaret Horatius ut tres,

Mars semel, ut geminos Iva casta daret.

Omnia perdidit, si masturbatus uterque

Mandasset manibus gaudia fœda suis.

Ipsam, crede mihi, nam am dicere verum,

Istud, quod dicitis, Pontice, perdis homo est.

Sed quærimus hic quædonam dicantur conjuges extra vas se pollueri, ad hoc ut peccatum incurrant. & in viris quidem non multum negotii assumentum in hoc dubio decidendo, licet firmandum omnino sit quantum penetrare debeant ad uteri claustra, ne extra vas pollui dicantur, cum enim uterius dividatur in os externum, collum, & os internum, quatenus ad hanc rem spectat, an teneri virum firmandum usque ad os internum penetrare, an vero sufficit intra uteri labra, & prope externum os semen emittere, an ad peccatum evitandum te-

netur saltem os externum transgredi? & in hoc quidem cum regula aliqua assignari debeat, absque dubio videretur dicendum, quod illa non alia esse possit, nisi quæ maxime ad generationem facit; quia tamen ad hunc finem jubent Medici, ut vir quam penitissime membrum intradat, non idcirco dicendum, quod si aliquid ab ea intrusione deficiat, non possit sequi generatio, quia ipse uterus attractrice sua facultate potest, ac solet semen ad se allicere; quodocunque ergo vir, maxime data opera, non ita vas penetrat, nec tam proprie ad intimiores uteri partes polluitur, ut ex ejus feminis emissionem sequi possit generatio, tunc extra vas pollui illum firmandum. ex hac ergo regula defumendum videtur quomodo etiam in, qui nulla spe generandi coeunt, Venerem exercere debeat, ne extra vas pollui dicantur; ita enim forte se gerere debent, ac si conceptio ex eorum copula esset secutura. Neque fidendum est quorundam Canonistarum opinionioni volentium satis esse, ut prope vas femineum vir semen emittat absque intromissione etiam, fundantes hanc opinionem in uteri attractione, ex qua factum dicunt, ut aliquæ in Balneo sunt imprægnata, aut ex semine simpliciter prope ipsas effuso, hæc enim ridicula apud Medicos, & inania sunt; licet pro fundamento suæ opinionis ea adducat Summa Armilla verbo debitum conjug. vers. quarta quæstio.

Major dubitatio insurgit circa mulierem, neque offendi quemquam ex Canonistis determinantem, quomodo mulier dicatur extra vas pollui, hoc enim explicari non potest; cum notum habeamus Medici, mulierem emittere semen in uterum, non extra uterum, & si quando emittat extra uterum, hoc involuntarie fit, cum in mulieris potestate non sit semen aut ad uterum, aut extra uterum pro suo libitu effundere: vasa enim ejaculantia ipsius mulieris in corporis vacuitate extra uteri corpus repentia ad ipsum uterum in coitu semen effundunt, à quibus tamen vasis productiones quædam fiunt ad uteri collum, per quas etiam aliquando semen ad collum uteri demandatur, & per eas nonnullæ, & maxime Gravidæ spermatizant, quas tamen semen non emittere falso affirmat Avicenna. Vas ergo congruens, in quod semen femina demandare debet, uteri corpus est, & ad illud quidem demandatur, unde cum pollutio extra vasa in muliere aut non fiat, aut si fiat, id præter ejus voluntatem eveniat, non videtur dari posse casus, ut mulier peccet extra vasa semen emittendo, ut volebant citati Canonistæ, nisi id sit, illam extra vasa emittere, cum absque viri copula data opera polluitur. quod si id non est, Canonistæ se ipsos explicent, significando quid sit.

Tandem in dubium verti potest, an mulier post celebratam Venerem, possit surgere, & urinam reddere eo sine, ut semen ejiciat, ne prægnans reddatur, nam Petr. à Pal. apud Sum. Ang. p. 1. verb. deb. conjug. num. 14. putavit hoc non esse peccatum, pruden- ter tamen ipsa Sum. Ang. periculosum id putat, & recte. nam non videtur absque peccato mortali posse conjuges impedire conceptionem, postquam pervenerint ad carnalem conjunctionem, & maxime ubi semen emiserint; atque inane est quod putat Canonista ille, quod conceptio fiat per quoddam tempus post feminis emissionem; nam contra illico atque semina sibi invicem obviaverint, conceptio sequitur, aut ipsorum feminum ejectio ab utero.

utero . itaque quando cunq; mulier conetur femina eijcere dicitur conceptum eijcisse, quod an mortale peccatum sit, nullum dubitare existimo. securior ergo videtur ipsius summæ Angelicæ opinio, nam omnino conceptio illico atque femina commixta retenta ab utero fuerint, dicitur consumata. nam nisi illico fiat, multo minus aliquanto post fiet, refrigerantur enim femina, & infecunda evadunt. Præterquam quod si illicitum est in ipso coitus actu se gerere, ut conceptio impediatur, quanto magis post ipsum celebratum coitum id erit illicitum?

Tituli Tertii Finis.



PAVLI ZACCHIAE

Medici Romani,

QVÆSTIONVM  
MEDICO-LEGALIVM

LIBRI SEPTIMI  
TITVLVS QVARTVS.

De Stigmatibus Magorum.

Continens Quæstiones quinque,  
quarum

- |                                                                                                                     |     |
|---------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|-----|
| I. Quid sint Stigmata, de quibus hic, & historica eorum disquisitio.                                                | 563 |
| II. Vtrum ejusmodi natura Stigmata dari possint.                                                                    | 567 |
| III. Rationes nonnullæ in Stigmatum defensionem producuntur, illisque occurritur.                                   | 569 |
| IV. Naturæ, an Arte caro viventis Hominis ita affici possit, ut puncta dolorem non sentiat, nec sanguinem effundat. | 571 |
| V. Ex præcedentibus quid eliciendum.                                                                                | 575 |

PAV

Admo-